

282

280

286

276

291

secrarunt ita, ut ab extremis mundi finibus transmitterentur homines et pueri immolandi daemonibus in Idaem vel Cretam mactandi, quod Apollo Delphicus oraculis consuluit, ut patet per Eusebium de praeparat. evangel. L. 7. C. 10.

(167 a) Aliud nomen, Macaronesum, habet propter singularē bonitatem ejus, nam Macaronesum idem est, quod beata insula; est enim una de his insulis, quae ab antiquis reputabantur paradisi, et ideo praecipui dii eam inhabitavere.

Aliud nomen, quod est Aërea, habet propter aëris temperiem et sanitatem. Illud vero nomen, quo etiam sacra scriptura et historiae eam nominant, est Creta, venit ab ipso nomine Cureta, vel habet ab una nymp̄a Hesperidis filia, quae dicebatur Creta, secundum Plinium. Sed hoc nomen Cureta habet a Curetis, primis insulae possessoribus. Alii dicunt, quod hoc nomen accepit a quodam filio Demogorgonis, Cres dicto, qui a se eam denominavit et in ea regnavit tempore Abrahae patriarchae, ante Christi nativitatem 1848. Veteres patrem ejus Demogorgōnem dicebant esse omnium deorum primum et patrem, a nemine genitum, aeternum et rerum omnium parentem, atque in visceribus terrae delitescentem rati sunt; hujus autem insipidae credulitatis non a studiosis hominibus habuisse principium, sed a vetustissimis Arcadum rusticis, qui, cum homines silvestres essent et viderent, terram sponte sua silvas et arbusta, quandoque flores, fructus et semina emittere, animalia cuncta olere, et demum in se omnia morientia suscipere, montes flamas evomere, e duris silicibus ignem excuti, ex concavis locis ventos exhalare, ejusque e visceribus fontes, lacus, et flumina fundi et maria, aestimabant, aethereum lumen etiam et stellas e terra excrevisse. Sicque terram deum esse non simpliciter dicebant, sed illi mentem implicitam esse, divinum intellectum, et nutu ejus agerentur ista, eamque mentem in subterraneis habere sedem arbitrati sunt. Cui errori auxit fidem apud rusticos, antra et profundissimos terrarum abditus intrasse nonnumquam, cum in processu languescente luce silentium augeri videatur, subintrare mentes cum nativo locorum horrore religio consuevit, et ignaris praesentiae alicujus divinitatis suspicio, quae a talibus suspicatam deitatem non alterius quam Demogorgonis existimabant, eo, quod ejus mansio in terrae visceribus crederetur, e quibus et Cretem filium huic insulae misisse credebant;

331

231

381

181

Ende

Anfang

